CASVS MORALIS.

1 POst expletum officium cuiusdam Prælati Regularis, ne Ecclesia diutiùs viduata maneret, vocales illius, soliciti de successore eligendo, ad electionem conuenerunt: in qua, præmissis omnibus, quæ de iure præmitti solent, & debent, post numerationem schedularum, post collationem numeri ad numerum, inuentum est, quòd Ioannes v. g. à maiori parte fuerit electus: sed postea, animaduersis aliquibus, quæ calore electionis fuerunt prætermissa, vel potiùs prudenti consideratione omissa, suborta fuit quæstio non parui momenti inter electores circa valorem electionis, cui dubio occasionem præbuit R. Prouincialis Conuentui tunc præsens causa visitationis ordinariæ: nam cum directio electionis ad ipsum pertineat; direxit quidem, sed à maiori, & grauiori parte Capituli potiùs iudicatum fuit, manus coactoris egisse, quam directoris: etenim in primis vsque ad confirmationem noui Prioris, quem enixè desiderabat ipse, distulit visitationi finem ponere, cum possent omnia negotia occurrentia finiri ante ipsam electionem. Nescio ad quid hęc dilatio? Scio tamen animum pusillorum posse deficere, suarũ causarum (si fortè erant aliquę) timendo finem infœlicem, si denegarent suffragium subiecto, in quo Prouincialis complacuisset: quòd autem complacuerit, probauit euentus; nam cum electores in persona eligenda disconuenirent, neque electum haberent in primo, & secundo scrutinio, statim dictus Prouincialis sic electores, & electionem direxit. Explicauit per se, quòd iam per suũ sociũ Secretariũ explicuerat, videlicèt se velle Priorẽ Ioannem. Publicata fuit inter electores voluntas Prouincialis directoris (ne dicam coactoris.) Ferè omnes, vel omnes hanc insinuationem ægrè, molestè, & amaro animo audierunt, & tandem, cum electores in tertio scrutinio non conuenirent, vires reassumpsit Prouincialis affectus, nam iterum explicauit voluntatem suam, modò debiliores, & pusillanimes fortificando, modo fortiores ad propriam cellam vocando, vt designium vniuscuiusque in negotio electionis cognosceret, notando in scriptis sibi propitios, quòd idem faciebat circa renuentes: dum tamẽ à Patre Prouinciali hæc exhortatio fiebat, iussu Supprioris de iure in electione Præsidentis iam Campanula pulsabatur, ad cuius sonum vocales ad electionem solent conuenire, sed iussu Prouincialis cessarunt pulsationes Campanulę, interruptus fuit Capitularium in Conclauim ingressus, & deniq; vsque ad vesperum illius diei non fuit celebrata electio, eò quòd prædictus Prouincialis

timebat, ne si tũc fieret, frustranea remaneret ipsius volũtas; & inane desiderium: vt ipse dixit, & iussit ita factum est; sed non vt disposuerat Supprior, & maior pars Conuentus, quibus in negotio electionis, & ingressu ad Capitulũ standũ est, & minimè Prouinciali: at inter hæc omnia, scio aliquos zelo Religionis præditos audacter introisse ad Prouincialẽ, cui repręsentabant nociuam forè Conuentui electionẽ, quã ipse desiderabat, quod omnes Capitulares sentiebãt; imò & illorum aliqui ipsum Prouincialẽ certiorẽ faciebant: his tamẽ non arridens instabat Prouincialis pro electione Ioãnis; at ê contra duo vocales specialiter instabant, vt R. Prouincialis eorũ precibus inclinatus dirigeret discordiã eligẽtium sub hac differẽtia, & disiunctione (ad hoc extremũ deuenit sic cõmendata, & sic necessaria in electionibus libertas) quod videlicèt eligerent, vel Ioannẽ, quẽ ipse desiderabat, vel alium Patrẽ nomine N. in quo bona, & maior pars eligentium conuenerat in particularibus congressibus: at P. Prouincialis indifferentiam non audiuit, disiunctionem non aspexit, & ad hæc omnia respondit, se velle quòd eligerent Ioannem. 3

Hæc ita certa sunt, vt de facili possint iuridicè cõprobari, & comprobabuntur grauiorum Patrum Conuentus in electione existantiũ testimonio, si qui potest remedium non adhibeat.

HIC EST DISCVRSVS ELECTIONIS, ILLIVS

Factum in hoc cõsistit. Quid iuris illius á Dominatione tua, sapientissime Doctor, scire desiderant electores?

2 IN primis ante resolutionẽ huius quęstionis tãquam omnino certũ supponi debet; libertatẽ eligentiũ sic esse de essentia, & substãtia electionis, vt si deficiat, electio non subsistet, & hoc non solùm sacri Canones persuadẽt, quibus statuta particularia Religionũ adhærẽt, sed etiã ipsa natura rerum. Et in primis, quòd natura persuadeat, docet S. Tho. 1. 2. q. 13. art. 6. in corp. vbi probat, libertatẽ requiri in electione mediorũ, de quo specialiter interrogabat Articulus, verũ in Argum. *Sed contra*, probat ex eo quod electio est actus potẽtię rationalis, cui secundùm Philos. conuenit se habere ad opposita, ita vt voluntas possit vnũ relinquere, & aliud assumere. Ergò si ad vnũ coarctetur voluntas, non verificabitur quod eligit: debet ergò, vt verificetur quòd eligit, plura respicere. Persuadent etiam sacri Canones; vt videre est in Cap. *Bonæ memoriæ*. Vbi Glossa, verbo, *Metuebant*, est omnino videnda, & ibi Panormit. n. 11. & in Cap. *Licèt*, de vitando, n. 12. & in Cap. *Quisquis*, n. 5. eodẽ tit. Silvest. verb. *Electio* 1. n. 26. q. 23. Tabiena, verb. *Electio* 1. n. 23. Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. de obedien. c. 31. pag. mihi 138. in princ. col. 2. Barbo. de vniuers. iure Ecclesiast.

siast. lib. 1. c. 19. de elect. Prel. pag. 143. n. 232. Sed quia in hac doctrina omnes cōueniūt, ideó abstinēdū duxi à prolixo cathalogo Authorū.

Quòd verò in Statutis, & Cōstitutionibus Regulariū commēdetur hæc libertas, preterquamquòd non indiget probatione, eò quòd non posśint recedere à Iure communi, probatur ex Castell. cap. 3. de elect. Canon. vbi ita ait ad n. 4. *Et in Constitutionibus Prædicatorum, cap. de elect. Prioris Conuent. repetitis vicibus strictiùs præcipitur, vt electiones, quæ fiunt in dicto ordine, sint omnino liberæ, & in cap. cui titulus de certis detractionibus, tex. 4. apertè dicitur: electiones nostræ maximè liberæ esse debent, & omni nota coactionis carere.* Et sic iudico in Statutis aliarum Religionum disponi, eò quòd debeant conformari dispositioni sacrorum Canonum; vt supra annotauimus.

SATISFIT DIFFICVLTATI PROPOSITÆ.

§. PRIMVS.

HIs prænotatis, iudico in primis, modū procedēdi R. Prouincialis secundùm se fuisse in aliquibus nociuum libertatis. Dixi accurate *in aliquibus*, eò quòd rationes dubitandi sunt diuersæ & in diuersis, non est idē iudiciū formandū: de actuali enim visitatione Conuentus, quam vsq; ad electionē, & confirmationē distulit, aliter iudicādum est, quàm de aperta determinatione ad vnū, facta (vt perhibetur) per solicitationē votorum, & de suspēsione ingressus ad Capitulū. Iudico ergo R. P. Prouincialē dilatando visitationē dedisse sufficiens motiuum causatiuum metus, etiam viri constātis: etenim Prelati Regulares in eorum visitationibus non solùm debent obseruantiā regularem promouere, sed etiam per ipsos debent corrigi inquieti, & consolari pusillanimes; modò Iudicis munus exercēdo, modò affectu Patris exhortando. Ergò subditus quantumuis magna constantia præditus, si in aliquod crimē inciderit, prudēter timebit vidēs ex vna parte eius causam criminalem adhuc interminatam, cum posset ante electionem terminari, & ex alia instantiam sui Iudicis suffragium deposcentis pro persona determinata. Sanè mirarer, si subditus non timeret potiùs Prælatū cōtristare, quàm sibi inuiso suffragari, quod est timere metu cadente in virum constātem, vt inter alios docet Bonacin. tom. 1. q. 3. de Matrim. puncto 8. n. 2. vbi ita ait. *Metus cadens in constantem virum dicitur ille, qui cogit eligere minus malum, vt maius malū probabiliter imminens euitetur.* Hæc ille. Existimo ergò dilationē dictam sufficiens motiuum esse causatiuum metus: sed an de facto causauerit, nō est mei instituti, Superior, ad cuius Tribunal recurrerint grauati, iudicabit, vt enim animaduertunt Barbos. loc. supr. cita. Bonac. & nouissimè Illustriss. Tapia, lib. 1. tom. 1. q. 3. art. 5. ad metum cadentem in

virum constantem quamplura requiruntur, tam ex parte personæ,
qua malum imminet, quàm ex parte illorum, quibus imminet. Circ
quod (vt dixi) non est mei muneris proferre sententiam. Superior Re
ligionis, cui possunt innotescere particulares circunstantiæ electio
nis, indiuiduales conditiones eligentium, sicuti & Prouincialis dire
ctoris asperitas, vel lenitas conditionis, ipse iudicet.

§. SECVNDVS.

4 Circa alias solicitationes, & motiua ferè idem iudiciũ existim
posse formari. Sed, ni fallor, motiua præsentis fortius suadent
violentiam, læsionem libertatis, & coactionem, quam fundamentum
præcedens. Pro cuius explicatione suppono, etiam metum reuerẽtia
lem esse sufficientem ad causandam violentiam in electoribus, & pe
consequens ad reddendam electionem nullam ipso iure. Sic Nauarr
in Manual. cap. 17. n. 29. & efficacius cap. 22. n. 51. Miran. in Manual
tom. 2. q. 23. art. 21. §. *Secunda conclusio.* Manuel Rodri. tom. 2. qq. Re
gul. q. 52. art. 1. Lezana de obligat. Religios. quoad elect. cap. 25. n.
Castel. cap. 3. de qualit. elect. canon. n. 4. vsq; ad 10. inclusiuè, & cap.
n. 56. & Bonac. loc. cit. inter quos Miranda affert exẽplum in Matri
monio carnali; hoc enim, si contingat celebrari ex metu reuerẽtiali
est nullum, sicuti & professio facta eodem metu interueniente. Idem
ergo erit dicendum in electione Prælatorum, si interueniat violẽtia
& fiat ex metu reuerẽtiali qualiter videtur interuenisse in nostra ele
ctione. Et probatur ex doctrina Bonac. loc. sup. cit. n. 6. vbi asserit, n
quẽcumq; metũ, sed grauẽ inferre violẽtiam, sed quisnam sit iste me
tus grauis? explicat per verba sequẽtia. *Quo scilicèt aliquis timet off
sam Patris, vel alterius sui Superioris diuturnam cũ vultus asperitat
cũ verberibus, aut aliqua alia mala tractatione.* Si ergo in doctrina hu
ius grauissimi Authoris, offensa Patris naturalis, & etiã Superioris, c
vultus asperitate, & mala tractatione, sufficiens est ad causandũ me
cadentẽ in virũ constantẽ: proculdubio potuissent vocales huius e
ctionis hoc idẽ timere in Superiori eorũ, ac proinde operari ex me
cadente in virũ constantem. Sed esto propter benignitatẽ huius Supe
rioris (quæ de viro aliàs pio, & religioso præsumitur) prædicta incõm
da non timerentur, ex alio capite incidimus in metũ grauem, ob soli
citationẽ scilicèt importunã R. Patris Prouincialis, qui precibus sæp
repetitis petebat electionẽ Ioãnis, quod in sententia huius Author
causatiuũ est metus cadentis in virũ cõstantem. Citat pro se Less. Re
bell. Hẽriq. Valent. Petrũ de Ledesma, Sanch. Reginal. & plures ali
apud Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 136. & addit prædictus Au
thor cũ ConincK, Rebell. & alijs (quos nos etiã supra notauimus) reli
que

quendũ esse arbitrio viri prudentis iudicare hîc & nunc; an fuerit metus, necne? Sed quisnã sit hic prudẽs? hoc opus, hic labor est. Et sanè si inueniretur aliquis casus huic nostro similis maturo consilio discussus, non esset difficile in nostro casu proferre sentẽtiam. In hac consideratione perplexus, peruénit ad manus meas quoddam manifestum Reuerendiss. General. Prędicat. (qui tũc erat Nicolaus Rodulphius) subscriptũ manu propria, & sui Secretarij R. P. M. Fr. Dominici de Marinis, datũ Romæ in Cõuẽtu S. Mariæ super Mineruã die 21. Septemb. 1641. Reg. fol. 118. cuius initium tale erat. *In Dei filio sibi dilectis RR. PP. & FF. Prouinciæ nostræ Bæticæ Ordinis Prædicat.* In his ergo literis patentibus inueni casum decisum per Reuerendiss. Gener. de consilio grauiss. PP. tunc Romæ commorantium. Casus qui tunc agitabatur talis erat. Elegerunt Patres Prouinciæ Bœticæ Ordinis Prædicatorum Cordubæ in comitijs Prouincialibus R. P. M. Fr. Antonium de Saauedra, ad cuius electionem necessaria fuit dispensatio in quadam Constitutione Iulij II. & re delata ad Reuerendiss. Gen. petebãt electores suum electũ confirmari: èco ntra autem opponebant aliqui Capitulares electionem non debere confirmari, ob defectum libertatis inter alia impedimenta, quæ opponebant, eò quòd quidam Pater Mag. qui officium Prouiucialatus finierat, corã omnibus dixisset, se velle R. P. M. Fr. Antonium de Saauedra, cui obiectioni, post discussionem maturam causarum, respondit Reuerendiss. Generalis per verba sequentia ostendenda, si opus fuerit, & habẽtur n. 6. *Hæc & alia plura circa validitatem dispensationis, à qua validitas electionis pendebat, fuerunt considerata præter ea, quæ occurrunt, quæ non mediocriter ipsam electionem infirmant (ne dicam nullam omnino reddunt) videlicet P. Mag. Manrique, qui tunc vltimò Prouincialem agebat, pridie quàm ad electionem conueniret, conuocatis vocalibus, legi fecit præfatam dispensationem, publicèq; coram omnibus se Prouincialem velle aßeruit præfatum P. Mag. Fr. Antonium de Saauedra, & quòd e euata manu, & erecto digito (quòd signum est iurantis, seu promittẽtis) qui eum Prouincialem vellent, propriam voluntatem aperirent, & subclamantibus pluribus, præfatumque signum consensus tumultuariè præbentibus, ad electionem sequenti die 20. Aprilis conuenerunt, qui quidem modus procedendi fuit iudicatus aduersari secreto, & libertati electionis Canonicæ.* Hucusque decretum, seu manifestum. Si ergo præcedente maturo cõsilio, de assensu, & consensu grauissimorũ Patrũ, iudicata fuit inimica libertatis simplex explicatio propriæ voluntatis dicti Patris, qui iam officium Prouincialatus finierat: quid dicemus de solicitationibus repetitis à Patre, qui in actuali officio Prouincialatus erat, & actualiter in visitatione Cõuentus? Quid de suspensione ingressus ad eligendum contra voluntatem electorum, qui iam ad electionem conueniebant? Sanè auderem dicere sequens doctrinam huius grauissimæ decisionis potiori iure fuisse læsam libertatem electionis in nostro casu, ac proindè fuisse nullam ipso iure.

PRoponebant præterea qui de valore electionis dubitabāt, quòd duo Patres zelo Religionis præditi suppliciter instauére, vt R.P. Prouincialis sub disiunctione explicaret suam voluntatem, vel pro Ioāne, quem desiderabat, vel pro alio N. nomine, in quo conueniebant: ad quod, asserunt, respondisse; se velle Ioannem determinatè: imò superaddunt dicti Patres, quòd exeuntes è cella Prouincialis publicarūt, dictum Prouincialem vnum è duobus velle; sed cùm videret quidam ex vocalibus, tam citò Prouincialem mutasse sententiam, vt certior fieret, cellam illius intrauit, cui iterum Prouincialis respōdit, se velle Ioānem eligi, quòd exiens è cella coram omnibus publicauit dictus Pater. Qua determinatione ab omnibus cognita, Capitulum ingressi sunt vocales.

5 Hoc præsuppositum, sine dubio, lædit libertatem electionis: etenim de conceptu illius, vt supra notauimus, est, quòd sit omnino libera, omnino indifferens, ac per consequens, quòd non determinetur ad vnum. Docent inter alios Eman. Rodrig. tom. 2. qq. Regul. q. 52. art. 1. Castel. de elec. cap. 3. num. 7. Roderic. de Acuña citatus à Barbos. in cōment. ad Cap. *Inutile*, n. 1. dist. 86. Abbas, in Cap. *Abbate*, de verb. significat. vbi asserit: quòd tūc tollitur libertas, cùm præcisè electores compelluntur eligere vnā certam personam. Idem docet Barbos. cit. de Iure Ecclesiast. cap. 19. n. 233. Peirin. loc. cit. n. 2. Panorm. in Cap. *Licèt*, de elect. n. 7. & cap. finali; vbi ita ait: *Si electores compellātur à Superiore eligere personam, vel personas determinatas; tunc, & eo casu talis electio est nulla, cum eligitur ille specificatus à Superiore.* In quibus verbis videtur Panormit. loquutū de electione nostra, in qua R. Prouincialis iussit eligi personam determinatam, quæ tūc, & eo casu (vt verbis loquar Panormit.) nulliter est electa.

6 Secundò facit pro confirmatione pręcedentis resolutionis doctrina Eman. Rodrig. in sum. tit. de elect. cap. 103. vbi, vt refert Castell. asserit: in Bulla Pij V. pro Fratribus Minoribus data sub die 25. Maij 1571. quę incipit *Pastoralis officij*, prohiberi electionem ad tres, vel quatuor personas, & esse nullā, si celebretur sub tali restrictione. Si ergo Sūmus Pōtifex libertati electionis cōsulens, declarauit esse nullā illā, quæ ad tres, vel quatuor personas restringitur; potiori iure declarāda erit nulla electio restricta ad vnā personā. Cōsonat huic doctrinæ id, quòd in pręclarissimo Prædicatorū Ordine statutū est in quāplurimis Capitulis Generalibus dictę Religionis, specialiter Romæ 1564. & Vallisoleti 1605. de quo videatur Castellinus, qui de verbo ad verbū decreta Capitulorū refert, in quibus resplēdet maximè zelus pręclarissimæ Religionis in Capitulo Generali cōgregatæ circa obseruantiā Sacrorū Canonū: in vtroque enim Capitulo præcipitur RR. Prouincialibus, quibus competit directio electionum, vt ea modestè vtantur, ita vt vbi non fuerit specialis necessitas, nullus electoribus

pro-

proponatur, si autem necessitas fuerit, iubetur, non proponi pauciores, quàm tres.

Dices pro Patre Prouinciali, illum non iussisse eligi vnum determinatè, sed cum esset eius muneris dirigere electionem, direxit proponendo vnum in particulari, cum videret in nullo alio electores conuenire. Secundò in eius fauorem potest dici, quòd in Epistola ad Capitulares directa, in qua, vt moris est, solent Prouinciales proponere personas idoneas, proposuit cum amplissima indifferentia, quòd manifestum fuit electoribus ipsis, qui præsentes fuerunt Capitulo, dum legeretur Epistola.

Sed hæc responsio parum, aut nihil fauet P. Prouinciali: etenim vsus est malè munere directoris: debet namque in casu discordiæ (qualis fuit præsens, tres ad minus proponere, quòd non fecit, sed vnum determinatè petijt. Ad illud, quod dicitur, P. Prouincialem videlicèt non iussisse, quòd vnus determinatè eligeretur. Respondeo: quæstionem esse de nomine; in re enim non solùm iussit, sed & exclusit aliũ nomine N. si enim dum iam ad sonum Campanulæ vocales congregarẽtur, iussit P. Prouincialis Campanulam cessare, & quod differretur electio vsq, ad vesperum, ne vocales eligerent Fr. N. in quo existimauit iam eos conuenisse. Iussit ergo, licèt non verbis, factis tamen, hunc excludi, & alium determinatè eligi.

Sed pro calce huius resolutionis, iterum, quæso, in memoriã reuocẽtur verba Reuerendiss. Gen. Nicolai Rodulfij, quæ habẽtur ad nu. 4. in fin. §. Non enim audeo ex proprio Marte in hac grauissima materia sentẽtiam proferre. Dico ergo resolutoriè ex doctrina tanti Præsulis, & tantorum virorum, quibus commisit examen illius electionis, quòd sicuti illa nulla fuit iudicata, eò quòd P. Prouincialis dixerit se velle personam determinatam in concursu totius Prouinciæ; ita potiori iure hęc in doctrina tantorum virorũ nulla est iudicanda, eo quòd P. Prouincialis dixerit se velle Ioannem. Hoc sentio, hoc iudico in hac Vniuersitate Parisiensi 2. die Septemb. Anni 1656.

Doctor Ludouicus Mesplech.